



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

Capvt II. De illis elementorum Monstris, quæ in dubium vocantur, vt de
Pyrali, Salamandra, Phœnice, Scylla, Charybdi, Sirenibus, piscibus
fossilibus, vnicorne, Sphygne, Centauris, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

qui facit magna Et inscrutabilia, Et mirabilia
absq; numero.

C A P V T II.

De illis elementorum monstris, quæ in
dubium vocantur, ut de Pyrali, Sala-
mandra, Phœnice, Scylla, Charybdi, Si-
renibus, piscibus fossilibus, Vnicorne,
Sphinge, Centauris, &c.

§. I.

Pyralis Et Salamandra num sint fabu-
losæ?



Ultra Poëtæ, neque pauca histo-
rici memorant, quæ neque au-
thoritatem, neq; fidem viden-
tur habere sufficientem. Nempe quoniam

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Sed si illi, quorum ea de re notio est, æsti-
ment, & fidem pleraque merentur, & ob-
tinent authoritatem; quamuis nonnulla,
etiam quæ testes habent, careant veritate:
ut difficile sit vera falsis permista seligere.
Inter hæc sunt monstra-quæpiam diuersis
elementis tributa. Ab igne incipiamus,
cui, quòd nihil gigneret, Vesta & Vestales

D 3

virgi-

virgines in sacerdotium sunt datæ. Et Ouidij carmen est :

Nataq; de flamma corpora nulla vides.

Plin. l. 11.
cap. 36.

Plinij tamen verba hæc sunt. *Gignit aliqua & contrarium nature elementum. Siquidem in Cypri ararijs fornacibus ex medio igni, maioris musca magnitudinis volat, pennatū quadrupes : appellatur pyralis, à quibusdam pyrausta. Quamdiu est in igne, vivit : cū evasit longiore paulo volatu, emoritur.* Facit huius muscæ mentionem etiam Laërtius in vita Pyrrhonis, vbi inter animalia, sine congressu nata ponit, *que in igne vivunt, que πυρρίβια vocantur.* Demus non scintillas ignis, non stricturas æris euolantes pro eiuscemodi muscis aspici; demus exhalantes vapores materiamque eiuscemodi animalibus gignendis etiam in ære non deesse; demus aridas bestiolas ad breve tempus non comburi; certè vim flammæ diu non poterunt sustinere. Quid est enim, quod vis flammæ non vincat? Fabulam igitur olet siue intra, siue extra ignem hæc musca. *Sicut salamandra, animal lacerti figura, stellatum, numquam nisi magnis imbribus proueniens, & serenitate deficiens. Huic tantus rigor, ait Plinius, ut ignem tactum*
extin-

Laert.
lib. 9. de
vitis Phi-
losoph.

Plin. l. 10.
cap. 67.

extinguat, non alio modo, quàm glacies. Vidi ego talem in ignem coniectam, vixit sanè aliquamdiu erumpere non valens, & maculis trallucentibus splenduit, sed ignè etiam modicū non extinxit extincta ipsa, non sine graui fæore. Quamuis etiā mortuam flamme diu vorantes non consumsere. Denique in fimum abiecta est, ne, vt naribus, ita etiam toti corpori pestem crearet. Etsi ergo Salamandra aliquid est, fabulosis tamen aucta est; qualiscumque imago corporum, in inferno vrendorum, non, comburendorum.

§. II.

Vnde probari videatur, Phœnicem esse in rerum natura?

Phœnix, si animal, ac si tale animal est, quale describitur, & ad duo elementa ignè atque aërem pertinet, & maximè monstruosum est, *unica semper avis*, neq; ex ovo prodiens, & incredendè viuacitatis. Hanc non solùm Græci & Latini Poëtæ Hesiodus, apud Plutarchum, Antiphanes apud Athenæum, Ouidius, Lucanus, Statius Papinius, alijsq; carminibus suis celebrauerunt; sed asseruerunt etiam multi historici & graues scriptores Ethnicorum, Hero-

Hesiod.
apud Plu-
tarch. de
orac. de-
fectu,
Athen.
l. 14. c. 25.
Ouid, l. 5.
Metam.

Lucan. l. 6. dotus, Horus Apollo Niliacus, Seneca,
 Stat. l. 2. Pomponius Mela, Plinius, Solinus Plinij af-
 & 3. Silu. fecla, Ælianus, Philostratus, Lampridius,
 Claud. in Heliogabalo, Dion Cassius, Sextus Au-
 lib. 2. in laudes relius Victor in Claudio, Artemidorus
 Stilico- Daldianus, Æneas Platonius, & alij. Sed
 nis. He- Placet ante alios audire Tacitum cautè de
 rodot. l. 2. hac aue ista memorantem. *Paulo Fabio, Lu-*
 Horus *cio Vitellio Coss. post longum seculorum ambi-*
 Hiero- *tum auis Phœnix in Ægyptum venit, præ-*
 glyph 32. *buitq; materiam doctissimis indigenarum, &*
 Senec ad *Græcorum, multa super eo miraculo differen-*
 Lucill. l. 5. *di, de quibus congruunt, & plura ambigua,*
 ep. 42. *sed cognitu non absurda promere libet. Sacru*
 Pompon. *soli id animal, & ore ac distinctu pennarum à*
 Mel. l. 3. 9. *ceteris auibus diuersum; consentiunt, qui for-*
 Plin l. 10. *nam eius definiere. De numero annorum va-*
 nat. hist. *ria traduntur, maximè vulgatum quingen-*
 cap. 2. 50. *torũ spatium Sunt qui assenerent, mille qua-*
 lin. c. 36. *dringentos sexaginta unum interijci, prioresq;*
 Ælian. de *alites Sesostride primùm, post Amaside domi-*
 hist. ani- *nantibus, deinde Ptolomeo, qui ex Macedo-*
 mal. lib. 5. *nibus tertius regnavit, in ciuitatem, cui He-*
 cap. 57. *liopolis nomen, aduolauisse multo ceterarum,*
 Phil. in *volucrum comitatu, nouam faciem miran-*
 vita Apol- *tium. Sed antiquitas quidem obscura; inter*
 lonij *Ptolomeum, ac Tiberium minùs ducenti quin-*
 Dionys. *quagin-*
 Cassius *quagin-*
 lib. 58. in *quagin-*
 fine. Dal- *quagin-*
 dian. de *quagin-*
 somnior. *quagin-*

quaginta anni fuerunt. Unde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris cre- didere, nihilq; usurpasse ex his, quæ vetus memoria firmavit. Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eiq; vim genitalem affundere, ex qua fœtum oriri, & primam adulto cu- ram sepeliendi patris. Neq; id temerè, sed sub- lato myrrhæ pondere, tentatoq; per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inq; solis aram perferre atque adolere. Hæc incerta & fabulosis aucta. Ceterum aspi- ci aliquando, in Ægypto eam volucrem, non ambigitur. Hæc Tacitus, alia referens, alia in dubium vocans. Maius momentum huic aui addunt SS. Patres, qui etiam passim in ea resurrectionis simulachrum osten- dunt. Clementis Romani verba sunt: *Aiunt Græci, avem quandam esse soligenam, ube- rem præbentem resurrectionis demonstratio- nem, quam dicunt comparem non habere, so- lamq; in mundo reperiri. Phœnicem appellant, narrantq; eam, post quingentesimum annum, in Ægyptum advolantem, secumq; copiam cin- namomi, casie, Xylobalsami adducentem, in loco, qui dicitur solis ara, consistere, ibiq; con- versam ad aspectum Solis, ei, ut aiunt, suppli-*

interpr.
l. 4. c. 49.
Tacit.
Annal.
lib. 5.

Clemen.
Rom. 15.
Aposto-
licarum
Const.
cap. 6.

S. Cypr.
in exposi-
tione
symboli.
Euleb.
Cæsar.
lib. 4. de
vita Con-
stantini
c. 72. Cy-
rill. cate-
chesi 18.
Epiphan.
in Anco-
rato. & ad
Physiol.
cap. 11.
Greg. Naz.
zianz.
orat. 37.
de S. Spi-
ritu. Hie-
ron. ep. 19
Ambros.
de fide &
resurrect.
& lib. 5.

cem sponte conflagrare, redigiq; in puluerem.
Ex cineribus autem vermem existere, cumq;
concoctum in nouum Phœnicem formari,
alitemq; factum, in Arabiam, que est ultra
Ægyptiacum saltum, aduolare. Idem scri-
pserunt S. Cyprianus, (si non Ruffinus
Aquilegiensis illius operis est author) Eu-
sebius Cæsariensis Episcopus, Cyrillus
Hierosolymitanus Archiepiscopus, Epi-
phanus, Gregorius Nazianzenus, Hiero-
nymus, Ambrosius, Augustinus, alijque
SS. Patres passim. Eleganter Tertullianus
inter monstra referens Phœnicem ait:
*Animalis est res vita obnoxia, & morti, illum
dico alitem orientis peculiarem de singularita-
te famosum, de posteritate MONSTROSVM,
qui semetipsum libenter funerans, renouat,
natali sine decedens, atque succedens iterum.
Phœnix: Ubi jam nemo, iterum ipse, qui jam
non alius idem. Quid expressius in hanc scilicet
resurrectionis causam? aut cui alij rei tale
documentum? Et infra. Deus etiam scriptu-
ris suis; & florebis enim (inquit) velut Phœ-
nix, id est, de morte, de funere, uti credas de
ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.
Ac rursus: Multis passeribus antestare nos
Dominus pronunciauit, si non & Phœnicibus,
nihil*

nihil magnum. Sed homines semel interibunt, c. 23. Augustin. l. 4 cap. 20 de anima.
 a quibus Arabia de resurrectione securis. Vult Tertull. lib. de resurrectione. Iob. 29. 18.
 ergo Tertullianus Phœnici ipsas sacras literas testimonium dare. Certè illud Iob: Tertull. lib. de resurrectione. Iob. 29. 18.
Dicebamq̄: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies; Septuaginta vertentur; & sicut Phœnix multiplicabo dies. Accedit ad hæc testimonia rationis similitudo. Quippe & bombyces fiunt è vermibus.
Hi eruca sunt. Fit deinde, quod vocatur bombylis, ex ea neocydalus, ex hoc in VI. mensibus bombyx. Telas araneorum modo texunt ad vestem luxumq̄, feminarum, que bombycina appellatur. Bombycas & in Coo insula nasci tradunt, cupressi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terre halitu animante. Fieri autem primò papiliones paruos nudosq̄, mox frigorum impatientia villis inhorrescere, & aduersum hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his cogi subigiq̄, unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine. Postea apprehensam corpori inuolui nido volubili. Tum ab homine tolli, fictilibusq̄, vasis tepore & furfurum esca nutriri: atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimittit.

Plin. l. 11. nat. hist. cap. 22. & seq.

mitti. *Quæ verò cœpta sint lanificia, humore lentescere, mox in fila tenuari iunceo fuso.*
 Vt ergo hîc ex verme fit auis, & ex aue rursus vermis, mirabili naturæ in se redeuntis circulo, cur non idem possit fieri in aue vitâ digniore? quid enim nobilius, Bombyx, an Phœnix? Hæc talia pro Phœnice causam agunt.

§. III.

Phœnicis atatem & urbem fabulosam esse.

Mihi tamen longè secus videtur, nimirum vel Phœnicem omnino non esse, vel, si est, non talem esse, qualis describitur, & passim putatur. Nam in primis, quis, tempore Romanorum, quingentis annis vixit, vt Phœnicis annos numeraret? Deinde etsi prima mundi ætas Macrobios tales habuit, immò & qui octingentos etiam annos excederent, vnde illi, si post quingentos annos Phœnicem denuò viderunt, scire potuerunt, eundem esse, & non alium, quem ante tot annos aspererunt? Fateor, in prouerbio esse, vt longæui *Phœnicis atatem vivere* dicantur; num idcirco Phœnix quingentos annos, & vt alij fabulantur, cum Ioanne Tzetze (qui id
 ex

ex Chæremone Ægyptio sacrarum litterarum scriba constanter affirmat) sex & septem annorum millia viuit, quia Nestor plurimos vixit, cui Homerus tres attribuit ætates? Audierat quidam litterarum studiosus, seu scholasticus, apud Hieroclem, cornicem, (quippe ni & coruum?) trecentos annos perdurare. Emit ergo, vt veritatem experiretur; quasi & ipse trecentos annos victurus. Tales mihi videntur & isti exploratores naturæ, qui temeritate sua quingentos Phœnicis annos metiuntur, non quinquaginta victuri. Quanto illis plùs credendum est, quàm qui aiunt pubentis hominis ætatem nouies vinci à cornice, cornicis ætatem quater à ceruo; cerui ter à coruo, & denique corui nouies à Phœnice? quis harum inter se bestiarum annos & vitam potuit computare? quis eas vnà aluit, aut posteris tradidit alendas? Nam de aue hac sex aut septem annorum millibus viuente, nimis palpabile est mendacium, cùm neque ipse hic Mundus adhuc tam diu durauerit, neque fortasse etiam tam diu sit duraturus.

At *probatum est* ait Solinus, *quadraginta & quingentis eam durare annis?* vnde *probatum*

Homer.
Odyss. 3.

Plin. l. 7.
cap. 48.

Solin.
Polyhist.
c. 36.

batum

Plin. Nat.
hist. l. 10.
cap. 2.

batum est? rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat, in Solis urbem strue altaribus superposita? Unde mors, & vita eius, & tota ætas tabulis publicis annotata sciri potest, & Cornelius Valerianus Phanicem deuolasse in Ægyptum tradit Q. Plantio, Sexto Papinio Coss. Ex his quæro, quo volârit Phœnix, & ubi se renascens restaurârit antè, quàm Heliopolis conderetur? An eò vsque nullus senescens casâ, thurisq̃e surculis alibi construxit nidum, repleuitq̃e odoribus, vt super emoreretur? Si tunc alibi denatus & renatus est, cur, post eam urbem conditam demum, ad hæc altaria astringitur? an non vnum casu eò deuenisse, ceteros alibi vitam posuisse credibile est? Quæro iterum, an nullus interimi à fortiore bestia, aut perimi iaculo potuerit venatoris? Si enim mortalis est, occidi potuit. Si occisus aliquis fuit, & unica semper avis est, vnde posterius eius repullulârunt? Certè ipsi authores, qui id affirmant, valde dubitant. Plinius enim, vbi dixit: *Allatus est in urbem Claudij Principis censura, & in comitio propositus (Phœnix) quod actis testatum est, mox adiecit, sed quem falsum esse nemo*

Plin. loc.
cit.

nemo dubitaret. Esto igitur, multi sint, qui dicant; esto tabulis publicis sit annotatum, tamen etiam quod actis testatum est, falsum esse, Plinij ætate, nemo dubitavit. Herodotus de eodem loquens, ita scribit: *Enm aiunt (quod mihi non sit verisimile hoc excogitare) ex Arabia proficiscentem in templum solis gestare patrem myrrha obvolutum, & in eo templo humare.* En ut dissentiant narratores, neque verisimile autumant, quod ipsi memorauerunt. Ælianus certè de longa Phænicis ætate loquitur ita. *Horum quingentorum annorum tempus impletum sciunt Ægyptiorum valde pauci, & hi Sacerdotes; & quidem inter se convenire non possunt de his, & contendunt, vel quod nunc, vel in posterum hæc divina avis veniet; vel quòd iam oportebat eam venisse.* Tanta apud ipsos Ægyptios huius avis est incertitudo. Quid quòd & diuinam eam esse oportet? *Nonne sapientia est, ait idem, Phanicem auem scire ubi Ægyptus est? ubi Heliopolis, quòd ipsi definitum est venire? & ubi aliquando pater conditus sit? & in quibus loculis?* Et esto, viam nòrit, quæro tamen, si Heliopolim Phænici venire necessum est, & in templo Solis ex se ipso renasci,

Ælian. de
hitt. ani-
mal. lib. 5.
cap. 56.

renasci, quò iam, hoc nostro tempore, volet, vt funus, & ex funere pullus fiat, cùm neque templum, vrbs solis ampliùs extat? Certè meritò dictum est, Hesiodum fabulosè multa de hominum auo, reliqua fabulosiùs in Phœnice & Nymphis retulisse. Nam & ortus animalis perfectissimi, &, vt describitur, elegantissimi, non ex ouo, sed ex cinere, ex verme, sine semine; & singularitas sine compare; & ætas, siue solares, siue lunares tot annos credatur viuere; & veniendi modus, & se ipsum interimendi per flammam ratio ac locus naturæ repugnat.

§. IV.

Semenda, & Phœnicis refutatio.

Nicol. de
Comitib.
A Fabri-
ca del
mundo.

Qua de causa fabulis etiam ascribendum est, quod Nicolaus de Comitibus tradit, in vltiore India, auem esse, cui *Semenda* nomen, trifido rostro, sentientem mortis suæ horam, eâ enim propinquâ, deferre ligna in nidum suum, cantillareque suauiter, atque alarum percussione incendere ligna, ipsaque illo igne consumi, indeque vermiculum gigni, qui postea in auem crescat. Ab Phœnice hæc sumpta, quis non videt? auem calore ignis
non.

non cruciari, quis credat? cruciari autem, & nullis catenis alligatam, non profugere, quis sibi persuadeat? Nempe iam & in bestijs Laurentios & Apollonias habebimus? Pulchrè B. Maximus monachus & Martyr fabulosam hanc auem his argumentis refutavit: *Quòd si avis est, Phœnix, etiam animal sit omnino necesse est; quòd si animal esse concedis, primùm non omninò potest illud esse singulare, quantum saltem animal est; nullum enim solum animal. Deinde si animal est, utiq; corpus animatum simul, & sensu praditum. Iam si corpus est animatum, & sensu praditum, certè etiam generationi, & corruptioni obnoxium erit. Ipsos, si libet, sapientes consule, rerum, quæ existunt, inspectores, fierinè possit, ut generationi quod obnoxium est, atque corruptioni corpus animatum item, ac sensu praditum, singularis esse nature (ad existentiam quod attinet) possit? cùm aliorum in his ex alijs successio evidentissimum sit existendi indicium, certissimusq; terminus, quemadmodum id scriptura sacra ipsa testatur, iuste illi Noëmo huius rei certitudinem exhibens, ubi Genesios septimo ait: Ingrederet tu & omnis &c. itemq; ex omnibus volatilibus, &c. in quibus si Phœnix, quòd*

E *alatum*

alatum ille sit animal, numerandus est, sanè singularis quoad existentiam natura non est, ut Deus ipse pronunciauit.

§. V.

Qualis concedi possit Phœnix?

Ob has, vel similes causas existimo, neque ab Aristotele, in illis, quos de animalium generatione ac historia conscripsit libris, neque à Diodoro Siculo eruditissimo, neque à diligentissimo Strabone; qui de Ægypto, de India, deq; earum regionum animalibus multa memorijs hominũ reliquerunt, facta est vlla Phœnicis mentio. Quare & ego censeo, vel Phœnicem in rerum natura nullum esse, vel si vllus est, non esse vnicum, sed plures, non generari ex cinere & verme, sed ex ouo, non viuere tot sæculis, quantumuis sit longæuus, neque se ipsum in rogo comburere, sed vel casu, vel ætate fessum emori, more auium ceterarum. Denique quòd tam rarò videatur, degere illum in locis inaccessis, atque inde tam rarò apud alias nationes conspici. Ad ea quæ pro Phœnice allata sunt, facilè potest responderi. Nam alia est ratio bombycis, qui est imperfectũ animal, atque ea propter facilè potest fieri ex

ri ex

ri ex verme alatus. Cetera nituntur auctoritate Poëtarum, & profanorum scriptorum, & S S. Patrum comparatione, qui Ethnicis Phœnicem tamquam imaginem resurrectionis sapiùs proposuerunt, non quòd, quæ de Phœnice narrabantur, vera crederent, aut quòd ea discutere vel-
 lent, sed quia *argumento ad hominem* dicto uti voluerunt. Si enim in vulgi & Gentium opinione Phœnicis historia & resurrectio passim credebatur, quantò equius erat credere, id hominibus non esse negandù, quod auiculæ Arabicæ concederetur, vt Tertullianus ratiozinatur. Hinc & hic ipse Tertullianus Phœnicem *de posteritate monstrosum* vocat; & S. Gregorius Nazianzenus clarè indicat, se tantùm uti ea ratione aduersus illos, qui Phœnicem rediuuium credunt; ait enim: *Quòd si etiam cuiquam fidem facit hic sermo &c.* Et S. Augustinus de eodem loquens: *Si tamen, vt creditur, de sua morte renascitur.* Denique ipsi, vt vidimus, profani scriptores pleriq; trepidè, aut dubitanter de Phœnice tam incredibilia, & à naturæ legibus abhorrentia recensuerunt. Locum illum ex Iob allatum, vulgatus noster Bibliorum textus, quem

E 2

sequi

Iob. 20.
 Concil.
 Trident.
 Sess. 4.

sequi debemus, non *Phœnici*, sed *palma* tribuit; non enim ibi *Phœnix*, sed *palma* legitur. Quia etsi ibi Iob agat de resurrectione mortuorum, illam tamen etiam *palma* significat, quæ & ipsa habet ex se renascendi potestatem. Septuaginta autem interpretes, *Phœnicem* posuerunt, quia cum hæc vox, tam auem, quàm *palma* significet; illi vsi sunt ea significatione, quæ Græcis, in quorum gratiam sacra ipsi vertebant volumina, mortuorum resurrectionem, secundum vulgarem ipsorum de Phœnice sententiam, magis aperiret, ut doctè aduertit Franciscus Ferdinandus de Corduba, qui hanc quæstionem fusè est persecutus. Atq; hæc de portentosis ignium; nunc ad quædam aquatica monstra examinanda veniamus.

Fran. Ferdinan. de Corduba. in Didascal. multiplici. cap. 7.

§. VI.

Scyllas esse rem fabulosam.

In aquis monstra non omnia sunt ficta, quæ à Poëtis celebrantur. Fictum est, quod aiunt de *Scyllis* duabus, quarum vna Nisi, altera Phorci filia, illa in auem, hæc in maris monstrum mutata sit. De vtraque ita canit Naso.

Quid. l. 7.

*Filia purpureos patris furata capillos,
Puppe*

*Puppe cadens celsa facta refertur
avis.*

de arte
Vide eū-
dem l. 8.
Metam.

*Altera Scylla maris monstrum medi-
camine Circes*

*Pube premit rabidos, inguinibusq;
canes.*

Etsi enim olim respiciens vxor Lot post se, Gen. 19.
conuersa est in statuam salis, Deo prohibi- 26.

tam curiositatem puniente, non tamen ea-
dem est veneficis potestas homines mutan-
di in saxa. Et quamuis eadem fingatur in
fabulis, multa tamen non sunt conueni-
entia. Scylla enim saxum est ingens, aut
rupes in mari prominens, quæ procul vi-
sentibus muliebrem formam imitatur, &
in quam illi fluctus, quoniam & luporum
eiulatum, & canum latratum videntur
imitari, finxerunt illam Poëtæ à pube hui-

usmodi feris succinctam esse. Quantam
oportet fuisse puellam, quæ in tam magnū
saxum induruit, vt inde totum fieret pro-
montorium in Peloponneso? Idem de Cha-
rybdi voracissima femina in mare præci-
pitata iudicium est: non enim femina in
eiuscemodi monstrum versa est, quod ad-
huc pristinam seruet formam: sed cautes
muliebri figura absorbet ea, quæ illi fiunt

Strabo
lib. 6.

propinqua, & circa Taurominitanum egerit littus; ea res fabulæ locum dedit. Si femina in eiusmodi caudem fuisset commutata, non tantum eam grandem fuisse, sed etiam immane quantum os habuisse oportuisset, quo totæ naues absorberentur.

§. VII.

Varia de Sirenibus opiniones.

Potest huic similis videri fabula de Sirenibus, in aues mutatis, quibus tamen, ut Poëta canit,

Ouid. l. 5.
Metam.

Virginei vultus, & vox humana remansit.

Etsi enim hæ videntur ad aërem pertinere, quia dicuntur inferiorem corporis partem volucrum auium, & superiorem ad formam humanam effectam habuisse, tamen aliter picturæ docent, aliter ipse Ouidius his versibus scribit:

Ouid. l. 3.
de art.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora

Quaslibet admissas detinuere rates.

Harum vna voce, altera tibijs, alia lyra cecinisse, & primò iuxta Pelorum, post in Caphareis insulis finguntur habitauisse, quæ illectos suo cantu in naufragia deduxerint,

xerint, quippe dum ex omnibus cantilenis
eas excogitarent, quas pro cuiusvis inge-
nio iucundiores fore putauerant, ut ita
homines nauigantes demulcentes in pro-
fundissimum somnum traherent, sopitos-
que vel vnà cum nauibus in scopulos alli-
derent, vel in mare detractos necarent.
Has qui Acheloi fluminis & Calliopes
Musæ filias in eiusmodi monstra versas
credit, credere etiam potest, Æneæ naues
in Nymphas abiisse. Itaque alij quidem
cum Dorione in libro de piscibus censent,
Sirenes meretrices in littore habitantes
fuisse, apud quas famæ fortunarumque
suarum naufragium fecerint, qui harmo-
niæ suauitate capti ijs non vitatis ducti
sunt ad extremam egestatem, verè in Sire-
num scopulos illati. Alij aiunt, itidem ut
in Scyllæis saxis, sonum fabulæ ansam
præbuisse, è procellarum insultu resonan-
tem. Huius opinionis est Archippus, scri-
bens, loca quædam maritima in prærupto-
rum montium angustias contracta, & ve-
lut testudinata fuisse, in quæ illi fluctus
sonum cum suauitate & harmonia emit-
tentes, præternauigantes ad visendum
allicerent; quò cum appulissent, vndarum

Archipp.
lib. 5. de
Piscib.

Natal.
Comes
lib. 7. My-
tholog.
cap. 13.

impetu delati, absorbebantur. Qua de
caussa: *Illud primùm ridiculum videtur,*
ait Natalis Comes, *fuisse umquam aliqua*
animalia, quæ fuerint è duabus tam diuersis
formis composita, ut altera pars esset piscis,
altera hominis, cum neutrum horum anima-
lium in aquis & in sicco uiuat. Accedit &
illa ratio eorum, qui docent, fieri non pos-
se, ut ex humana & belluina specie homi-
nes nascantur; quia istiusmodi effecta se-
quuntur deteriorem partem suæ causæ.
Sed profectò experientia hîc aliud fateri
cogit, cum certò constet, ex congressu ho-
minis & bestię sæpius bifformes partus
prodijisse. Fieri enim potest, ut causæ par-
tialis nobilior ita efficacitate sua præualeat
supra minùs nobilem, ut trahat effectum
ad suam speciem. Quare in eo euentu, non
necesse est, ut effectus sequatur deteriorem
causæ partem, sed tunc demum, quando
utriusque vis & concursus par est; aut
quando deterior vincit. Illud autem Co-
mitis argumentum, quòd neque homo in
aquis, neque piscis in sicco uiuat, perspicuè
refutatur ab amphibijs. Non enim rana
solùm jam supra, jam infra aquas, jam eti-
am in ipsa ripa degit, sed castores etiam &
lutræ,

lutræ. Et lutra quidem corpore velut porcino piscem habet appendicem. Aiunt & phocas exire in littora, & alios pisces euolare in altum. Quare ratio illa neminem mouere debet; possunt enim & Sirenes, quæ hominis speciem exprimunt, extra vndas os efferre, & quæ piscium squamis teguntur, aquis immergi, atque more cygnorum circumnatare. Quamquam igitur ordinariè existimandum non sit, ea monstra, quæ semihomines & semibestiæ dicuntur, aut homines esse, cum non constet, ex humani seminis permissione prodijisse, nec videatur saltem vt plurimum ea permissio ad id sufficere; aut partim belluas esse, partim homines, (cum impossibile sit, duas naturas completas in vnam speciem coalescere) possunt tamen reuera esse bruta alicuius certæ speciei, licet effigie vtramq; speciem imitentur.

VIII.

Sirenes omnino in rerum natura esse.

Itaque tot experientijs, complurium oculatorum hominum grauissimis testimonijs adductus, etsi quæ de Sirenibus in immensum auxerunt Poetæ, fabulosa duco, Sirenes tamen viuere in mari non dubito.

Conimb.
in libr. 2.
Phys. c. 9.
q. 5. art. 3.

Io. Ludo-
uic. Gott-
frid. in
historia
Antipod.
part. 1.
pag. 193.

bito, quacumque tandem animalium spe-
cie censeantur. Capitaneus Ioan. Schmid
in nauigatione anni 1614. quam ipse cum
noua Anglia oculatus testis descripsit, se-
quentia habet. *Non possum hoc loco silentio
preterire admirabilem Dei creaturam, quam
An. 1610. ipse hisce meis oculis vidi. Accidit
ut aliquando, aurora primulum pungente, in
littore non procul à portu S. Ioannis me consi-
stente, summa celeritate adnataret monstrum
marinum. Eximia illi erat forma. Oculi,
nares, aures, gena, os, collum, frons, &
totus vultus virginem venustissimam prae se fe-
rebant. Capilli cyaneo colore per humeros de-
fluxère. Hoc monstrum, cum vix longioris
hasta spatio à me famuloq; meo abesset, ita
me perterruit, ut referre pedem cogeret. Sed
& ipsum aspectu nostro perterritum aquas
subiuit. Paulo tamen post denuò emerfit ibi, ubi
ego appuli. Rursus igitur datum est mihi illud
intueri, quamquam distantia longiore. Vi-
debatur igitur à capite vsque ad umbilicum,
vel esse homo, vel hominis imago, ea autem
que ab umbilico deorsum erant, piscem re-
presentabant. Hoc ipsum etiam prodigium in-
de ad illam nauem se transtulit, in qua alter
meus seruus Guilielmus Hacobrigde, nunc ori-
entalis*

entalis Indiae capitaneus, erat. Postquam ad
navim accessit, omni vi conatum est in illam
conscendere; qua audacia omnes, qui naucna
custodiebant, in formidinem sunt dati. Quare
sudibus contisq; illud percutientes in mare re-
pulerunt. Tanta autem erat pertinacia, ut
repulsum ad alias duas naues nando propera-
ret, atque inibi etiam territos vectores in fu-
gam coniceret. Huius rei se, & quam pluri-
mos alios oculatos testes profitetur navigatio-
nis illius Capitaneus. Quis hic non potuisset
dicere,

*Emersere feri canenti è gurgite vultus
Aequorea monstrum Nereides admi-
rantes?*

Catull. de
Nuptijs
Pel. &
Thet.

Scio, dici posse, fuisse larvam ex Orco; sed
habentur alia exempla, ut illius Sirenis,
quæ in Hollandiam ducta manibus fila
ducere, nere, aliaq; similia hominum ope-
ribus facere didicit, & multis argumentis
ostendit, se larvam non esse.

§. IX.

An dentur pisces fossiles?

Inter alieni elementi habitatores nume-
randi sunt pisces qui fossiles appellantur.
Maximi prodigij loco, inter alia, narrat
Liuus, In Gallico agro, quæ induceretur

Tit. Liu.
l. 42. hist.
aratus

Leonic.
Variæ
hist. l. 2.
15. & l. 3.
cap. 12.
Camers
in Solinū
c. 56. Ca-
faub. in
Strabon.
Aristot.
lib. de
mirand.
cap. 69.
Plin. l. 9.
nat. hist.
cap. 9.

aratum, sub existentibus glebis, pisces emer-
fisse. Vidi ego ipse etiam varij generis pi-
sces è rupibus erutos, sed qui lapidesce-
rent. Et fossiles, in quibusdam terris in-
ueniri pisces, vnde cuniculorum, aut tal-
parum more extrahantur, Leonicens, Ioan. Camers, & Casaubonus affirmant.
Ac ne res noua putetur, habet antiquos
authores. Nam siue Theophrastus, siue
Aristoteles ipse, in libello de mirandis au-
ditionibus, ita loquitur. *Circa Babylonis
rigua decedentibus fluuijs in cauernis aqueis
hebetes pisces nonnullos remanere, proditur,
quos inde exire ad pabula pinnulis gradien-
tes crebro cauda motu, contraq; venantes re-
fugere in suas cauernas, & in his obuersos
stare, ac sepe numero viros aliquos eorum ca-
uernas ingredi, ipsosq; irritare aiunt. Illorum
autem capita rane marine proxima extant,
reliqua partes gobijs, branchie ceteris pisci-
bus. Et cap. seq. In Heraclea, quæ in Ponto
est, & in Rhegio defossos pisces innasce legitur,
qui iuxta amnes aquatilesq; regiones incolunt.
Cum verò certo tempore hæc exsiccantur, ex-
arescuntq; in terram iter contendunt. Postea
autem, terra magis desiccata, humorem in-
sectantes ad siluam confugiunt. Postremò ve-
rò hæc*

rò hac arefacta, adhuc in humore persene-
rant, quemadmodum animalia, quæ in late-
bris remorantur. Cùm autem eos effodiunt,
antequam aquarum successio eueniat, motu
demum corporum ipsos viuere approbant. Ac
rursus seq. cap. Apud Paphlagoniam, effossos
ex altis scrobibus pisces oriri asserunt, virtute
quidem præstantissimos, in locis, ubi nulla pro-
pè restagnant aquæ, sola tellure vitam illis sup-
petente. Eadem prorsus retulit Plinius: ea-
dem alij attigerunt.

§. X.

Fossiles pisces à Seneca non rectè esse ne-
gatos.

Seneca tamen hæc, vt fabulosa, videtur
ridere, dum scribit: *Multa tibi, hoc loco, in
mentem venere, quæ urbanè, in re incredibili,
fabuloseq; dicas: Non cum retibus aliquem,
aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum.
Expecto, vt aliquis in mari venetur. Quid
ejus autem, quare pisces in terrã non transeant,
si nos maria transimus? Permutabimus sedes.
Sunt & argumenta, quæ pisces hos tol-
lunt è medio, vt non nemo arbitratur.*

1. Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per
terras penetrent? 2. Cùm nullum animal ex-
tra suum viuere possit elementum, ad longiu-
sculum

Senec.
Natural.
qq. lib. 3.
c. 17.

Francisc.
Ferd de
Corduba.
in Didasc.
cap. xi.

sculum tempus, quomodo illi pisces naturam suam exuant, ut extra aquas uiuant? 3. Quia credibile est, pisces respirare, qua via aer ad eos ingreditur, ut eos refrigeret? Responderi potest, Senecæ rem hanc incredibilem fuisse visam & fabulosam, alijs autē compluribus veram. Vni neganti centum testes opponuntur, cui credas? Quin & ipsum Senecam Senecæ obijcio, qui si non fossiles, saltem subterraneos pisces reperiri ipse affirmat. Sed, ut ad propositum reuertar, ait, accipe argumentum magnam vim aquarum in subterraneis loculis fertilem foedo situ piscium. Si quando erumpit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, ac turpem, ac noxiam gustu. Certè cùm in Caria, circa Myndum urbem talis exilisset vnda, perière, quicumque illos ederant pisces, quos ignoto, ante eum diem, calo nouus amnis ostendit. Nec id mirum, erant enim pingua, & differta, ut ex longo otio corpora; ceterùm inexcitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur. Quid si hæc sub terris vnda fuisset exsiccata, nonnè pisces inibi vel viui, vel mortui mansissent?

Senec.
Nat. qq.
l. 3. c. 19.

§. XI.

§. XI.

Quo modo pisces fossiles sub terram venire possint?

Nam ut allatis rationibus satisfiat, si i. quæritur: *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?* Ex illo ipso vel Aristotelis, vel Theophrasti libello de mirandis auditionibus responsum accipimus; ait enim. *Circa Liguriam, in Massiliensium agro stagnum quoddam reperiri asserunt, quod ebullire, ac aquas superfundere aiunt, tantamque piscium copiam eicere, ut nec credere dignum sit. Cum verò Etesia efflant, terra pulverem super se obducit, eumque talem illic procreat, ut superficiem eius, ceu solum firmet. Ceterum indigenæ tridente id interrumpunt, & quotquot pisces voluerint, promptè excipiunt. Quod si hoc testimonium vacillat, ob illa verba: ut nec credere dignum sit. Strabonem audiamus: E Pyrena fluunt Roscyno, ait, & Illybernis, uterque urbem habens cognominem. Roscynoni etiam lacus est propinquus, ac paulò supra mare locus aquosus, plenus salinarum, is etiam fossiles habet mugiles; ubi enim duos aut tres pedes foderis, immisso in aquam limosam tridente, configere licet piscem eum iustæ magnitudinis, is alitur limo sicut anguilla.*

Certè

Aristot.
lib. de ad-
miranda
audit.
c. 87.

Strabo.
lib. 4.
Geogra-
phor.

Poly. l. 34.
 histor.
 Athen.
 lib. 8. c. 1.

Certè vt nemo negare potest, pisces à glacie, tempore hiemali, intercipi, ita proteruum est, inficiari, pisces ab arenis aut limo obrui. Ita Polybius, *planitiem esse*, inquit, *post Pyrenem, ad Narbonem, usque fluuium, per quam Illybernis, & Roscynus ciuitates à Celtis conditas eiusdem nominis alluentes defluunt, in qua pisces sint effossi. Habet autem hæc planicies terram exolutam, multumque gramen innatum. Subter terra est sabulosa ad duas vel tres vlnas, sub qua aqua inuenitur, que à fluminibus aberrauit, in qua pisces sub terra discurrunt per riuos ipsas cibi gratia: quia graminis radicibus mirum in modum delectantur, totam planiciem idcirco pisces subterranei occupârunt, quos excauantes capiunt. Hæc Polybius. Et apud Athenæum, Democritus: Opus est autem, inquit, vt vos etiam pisces, effossos dictos, in obsonium parum capiatis, qui nascuntur in Heraclea, & apud Tium Milesiorum coloniam; de quo scribit Theophrastus. Hic idem Philosophus de piscibus, in glacie, per hiemem compactis, qui non prius sentiunt, aut mouentur, quam in ollas coniecti coquantur. Illud proprium est, quòd præter hos, ijs piscibus accidit in Paphlagonia, qui effossi dicuntur: nam in*

pro-

profundum, in ijs locis excavari, inquit, quæ
neque fluviorum, neque calidarum aquarum
habeant fluxus, piscesq; ibi vivos inueniri.

§. XII.

An, & quomodo pisces extra aquam vivere,
& respirare possint?

Sed hinc nascitur altera quæstio, Quo-
modo hi pisces extra suum elementum vi-
uere; & tertia, Quomodo intra terram re-
spirare possint? Ad tertiam facilis est re-
sponso. Si enim (vt aduersarij volunt, &
se demonstrare putant) certius est, pisces
omniño non respirare, nullo aëre ad re-
spirandum indigent. Quòd si autem sub
glacie suffocati pisces ostendunt, illos aëre
indigere, multa dici possunt. Nam sicut
vrinatores spongiam oleo imbutam in os
indunt, quando sub aquis sunt; ita sæpius
vidimus carpionem, panis bolo imposito,
diu extra aquam vivere: si ergo illis spon-
giæ oleum pro aëre, huic panis bolus, pro
aqua esse potest, cur non & frigida terræ
gleba id pisci præstare queat? Deinde:

Quidquid est, ait Plinius, hoc certè minùs Plin. l. 9.
admirabile facit talparum vita, subterranei Nat. hist.
animalis, nisi fortè vermium terrenorum & cap. 57.
piscibus natura est. Siue ergo aëre opus est

F

piscibus,

piscibus, possunt in terræ cauernis tantumdem habere, quantum talpæ; siue vermium more, suo se succo refrigerant; non necesse est illos terræ insertos statim extinguere. Vidi ego præstantem medicum, qui cum viperam triduo suspendisset, & suffocatam arbitrans, superinfuso vndiq; gypso, eius lineamenta in modulo exprimere vellet, dissecto, post aliud triduum, jam indurato gypso, proficiente bestia viua, ac sibilante, & carcerariū suum quærente, periclitatus est. Vidi & ipse viperam, è gypsato sepulchro rediuuiam. Cur non & pisces ad eundem modum aliquamdiu viuere, sub terris possent, qui alioqui diu satis, sine vlla respiratione sub aquis degunt? Denique esto, nihil ibi aquarum, nihil succi, nihil sæpe etiam sit alimenti, facile concedo, plurimos emori, & in lapides indurescere; quod etiam ipsis plantis, fruticibus & herbis contingit ab arenâ interceptis paulatim lapidescente. Tales pisces, frutices, herbulas in saxis fissis, prope Kelhemium in Bauaria inuentas, mihi olim in Rorensis cœnobij bibliotheca monstratas memini; quamquam vtique monstratas loco monstri. Est enim non solum
 incon-

inconuetum, sed etiam naturæ ordini aduerfum, vt extra aquam degant pisces, aut vt piscatio in terris institui possit; sicut esset, si aliquis in mari venaretur. Hæc de aquaticis monstris, quæ in dubium vocantur.

§. XIII.

An sint in terris Monocerotes.

Terra quoque fertur alere quasdam portentosas, vel quasi portentosas bestias, quas quidam negant in rerum natura inueniri, & fabulis permixtas rapiunt in quæstionem. Talis bestia est Monoceros, de quo D. Ambrosius ita scripsit: *Cornua quomodo posuit unicornuum, requirendum, cum ipse unicornuus inter generationes ferarum, ut periti aiunt, non inueniatur.* Reddit hoc animal suspectum, quod passim pro fabula habeantur ea, quæ SS. Patres commodè in similitudinem adhibentes recensuerunt. *Rhinoceros iste, ait S. Gregorius, qui & Monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur, sed sicut hi asserunt, qui describendis naturis animalium laboriosa inuestigatione sudauerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in*

S. Ambr:
lib. 11.

S. Greg.
l. 31. Moral.
c. 13.

Isidor. l.
12. orig.
c. 2.

quo ille, omni ferocitate postposita, caput deponit, sicq; ab eis, à quibus capi queritur, repente velut inermis inuenitur. Idem iisdem pæ-
nè verbis refert Isidorus. Verùm, si idcirco non existere in mundo bestiam aliquam negandum est, quia de ea aliquid refertur fabulosum, neque asinum, neque canem, neque ranam, aut alias bestias plurimas existere oportet, quia de illis Phryx ille multa excogitauit fabulosa. D. Ambrosius secutus est aliquorum opinionem, qui ob fabulas adiunctas, & quia neque auctores, neque experientiam habuerunt, ipsam etiam censuerunt negandam veritatem. Quod persæpe contingit, vt quæ vera sunt, fidem amittant admixtione falsi. Ceterùm etiam Monoceros à Rhinocerote differt, quorum ille cornu in fronte, iste in naso gerit, & descriptione vterque discrepat. Quamquam igitur ea, quæ oculis nostris obuia non sunt, difficulter credant imperiti, tamen haud existimare debemus, alijs regionibus concessa non esse, quæ nostris sunt negata. Non vidit Europa monocerotem, vnicorne animal? at vidit Asia.

Albertus
Mag. l. 12.
de anim.

Et testatur Albertus Magnus, Romæ quæque à Pompeio eiusmodi animal in spectaculo

Et aculo productum, cum elephanto congressurū, cornū ad saxum limauisse. Quòd si Germania nostra animal hoc numquam vidit, vidit tamen cornu illius, expertaque est, contra omnia venena, vim habuisse. Testes porrò quàm plurimos licet adducere; vt sunt, præter S. Gregorium & Isidorum à nobis citatos, Strabo, Plinius, Solinus, Ælianus; & recentiores. Marcus Paulus Venerus plurimis in locis reperiri vnicornu affirmat, apud Tartaros, in siluis regni Mien, in regno Indico Guzzerat, quod confine est Malabarico: præcipuè verò, in regno Basma Iauæ maioris, frequentissimè, autem in Regno Lambri eiusdem insulæ. Ludouicus Barthema Bononiensis magnorum itinerum descriptor oculatus testis, Petræ cognominis Arabiæ ciuitatis (vulgò Meccha Bellonio) Machometis pseudoprophetæ patriæ magnificentissimū commemorans templum, hæc de monocerote tradit: *Ex altera templi parte cors extat muro cincta, in qua duos vidimus monocerotas, qui miraculi loco ibi ostenduntur.* Subscribunt his Ludouicus Cadamustius, Nicol. de Comitibus, Ioan. de Hese, in suis Itinerarijs. Strabo certè agens de India,

Strabo
l. 15. Geograph.
Plin. l. 8.
c. 23. Solin. c. 65.
Ælian. l. 16. de animal c. 20.
M. Paul. Venet. l. 2. cap. 43.
lib 3. c. 28.
l. 3. c. 12.
eod. l. 3. cap. 15.
Ludou. Barth. l. 1. cap. 17.
Itinerarij

Strab, loc: scribit, *Equos ibi unicornes reperiri cervinis*
 cit. *capitibus.* Paulus autem Iouius agens de
 regno Gogiano, quod supra Nili ortum,
 in extrema pænè Africa, situm est, altissi-
 mis montibus, ac densissimis siluis imma-
 nium omnis generis belluarum plenis ab-
 undans, ita loquitur: *Idem affirmant de*
monocerote, quod animal unicone à nostris ap-
pellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iu-
bata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu
armatam frontem præfert, quod lenore can-
doreq; eburneo, & pallidis distinctum spiris, ad
obtundenda habetandaq; venena mirificam
potestatem habere dicitur. Cornu enim im-
misso, & per lymphas circumducto, fontes
expiare perhibent, ut salubriter viuat, si inde
virosa bestia præpotârint. Id vino animali non
detrabi, cùm ullis insidijs intercipi nequeat.
Cornu tamen sponte decisum in desertis reperi-
ri, ut in cervis accidere videmus, qui ex se-
necta vitis renouante natura, vetus cornu
exuunt, venantibusq; relinquunt. Hoc cornu
regis impositum mensis, toxica si qua sint epu-
lis indita, emisso statim admirabili sudore con-
uiuis prodere narrant. Ex his duos vidimus
bicubitales, brachiali ferè crassitudine: pri-
imum Venetis, quod postea senatus Solimano
 Turca-

Turcarum Imperatori dono misit: alterum pari prope magnitudine, sed præcisa cuspide argenteæ basi insertum; quod Clemens Pontifex Massiliam profectus, pro insigni munere ad Franciscum regem detulit. Ad tot scriptorum testimonia accedit diuina authoritas. Quorsum enim Dauid dixit? *Salua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam*, sunt enim vnicornes indomitæ bestiæ, multisq; bestiis ferociores. Rursum: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*, qui dum iuuenulus est, ob speciem insignem amabilis est. Iterumque: *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*; id est, potentia, gloria, felicitas mea crescet in altum, non sicut fragile fœnum, sed vt cornu unicornis animalis in fronte vnicum quidem, sed excelsum & valde robustum cornu gerentis. Quamuis enim cornu hoc Solinus tantum *pedum quatuor*, vti & Isidorus, esse dicat, Plinius tamen *cubitorum duum*, at Ludouicus Barthema *trium ferme brachiorum* longitudine esse affirmat: nempe pro magnitudine ætatis. Alludens ad hanc belluam etiam Isaias ait: *Et descendent vnicornes cum eis*. Tam crebra vnicornium mentio in diuinis litteris non vide-

Psal. 218
220

Psal. 28. 6.

Psal. 91.
10.

Solin.
cap. 65.

Isidor.
lib. 12.

Orig. c. 2.
Plin. l. 8.
cap 21.

Isa, 34 7.

Vincent.
in spec. I.
p lib. 19.
cap. 91.

tur de fabulis sumpta. Pertinebat autem
huc de hac quoque bestia quærere, quia,
tamquam rarior, & ipsa vulgò potest pro
monstro haberi. Quin disertè Vincentius
ait: *Monoceros est monstrum equino corpore,
ceruino capite, cauda suilla, pedibus elephan-
tis, mugitu horrido, &c.* quid magis potest
esse monstruosum?

§. XIV.

Bestias quasdam raras monstra videri.

Pleraque, de Pyrali, Phænice, piscibus
fossilibus, & Monocerote dicta, osten-
dunt, has bestias, ob raritatem, aut inu-
sitatum duntaxat nascendi viuendiq; mo-
dum, censerì prodigiosas; nisi quòd, quæ
Vincentius de multiformi monocerotis
natura tradit, veram eam belluam mon-
strum esse probent. Vtrùm autem ea se ita
forma habeat, est eorum pronuciare,
qui viderunt. De Sirenibus difficilior est
quæstio: possunt enim esse, vel non esse,
*effectus nature, qui deniat à recta consuetaq;
secundùm speciem dispositione;* propius vero
est, vera monstra esse; alioquin enim & Sa-
tyros, & Faunos, & centauris natos lice-
ret dicere, eos à *recta consuetaq;
secundùm
speciem dispositione non deniare,* cum tales
sint

sint, quales fuere, qui eos genuerunt. Sunt enim, qui in India, & Libya, totas opinentur insulas Satyris & Sphingibus occupatas.

§. XV.

An, & Quid sint Sphinges?

Porro, quia Sirenibus aliquo modo pares sunt Sphinges, libet etiam de illis disputare. Talia enim monstra extitisse, conijcitur 1. Quia non solum alibi passim pinguntur, verum etiam Romae aliquot Sphinges marmoreae ex Aegypto allatae, in Capitolio, monstrabantur. 2. Quia Aegyptij sapientissimi olim Sphinges ante templa posuerunt. 3. Quia Octavius Augustus Sphinge loco signi usus fuit; sicut alij aquilae, leonis, draconis effigie. Quem admodum ergo hi verorum animalium, non fictorum, figura vti sunt; ita quidam putant, Imperatorem signum suum non a fabulis traxisse. 4. Quia Pierius scribit, se tale monstrum vidisse, cuius etiam haec sunt: *Nascuntur, apud Troglodytas Aethiopes, forma haud ei dissimili, qua pinguntur, fusco pilo, mammis in pectore geminis: monstro similes. Sunt etiam paulo pinguiores. Naturam habent in cicuratione admodum procli-*

Pier. Va-
ler. lib. 6.
cap. 30.
Hiero-
glyphico-
rum.

uem, pluribus exercitijs disciplinisq; aptam. Unde fertur etiam Sphinx monstrum Thebanum fuisse facie virginea, alas & ungues habens, Harpyiarum instar, quod insidens scopulo via imminente, insolubilia enigmata transeuntibus proponebat; quæ cum solvere non possent, ex improviso veniens alis & unguibus ad se eos in rupem trahebat, & præcipientes dabat. Apollodorus ait, Sphingem ex Echidna & Typhone parentibus ortam, Thebanis ab Iunone immissam, Hanc muliebri facie ac pectore, pedibus ac cauda leoninis, & avis pennis præditam fuisse, quæ cum à Muis enigmata didicisset, in Phyceo monte conserit, deq; ijs unum Thebanis proposuerit. Aufonius Sphingem in hunc modum descripsit.

Apollod.
lib. 3. de
deor ori-
gin. & ex
eo. Phil.
Camer.
1. cent. c.
71.

Aufonius
in Gri-
photer-
nario.

Terruit Aufonium volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Hæc si omnia in trutinam conijciantur, partim vera, partim inuoluta, partim sunt fabulosa. Fabulosum est, Sphingem ænigmata proposuisse; inuolutum, aliquid monstri latuisse; verum, Sphingem aliquam bestiam esse, licet non talem, qualem picturæ,

Statuæ, sculpturæ, statuæ vel Romanorum,
vel Ægyptiorum, aut Apollodorus, vel
Poëtæ descripserunt. Quæ sub ænigmate,
aut silentio seruari voluerunt antiqui, ea
imaginis obscuritate exprimi conuenie-
bat. Hinc Ægyptij idcirco Sphinges ante
templa collocârunt, vt mystica dogmata,
præcepta & institutiones sacræ, per æni-
gmatum nodos procul à profana multitu-
dine, inuiolata custodirentur, & in ar-
canis tantùm tractarentur. Augustus quo-
que, ob silentij fidem, Sphinge vsus est in
litteris signandis. Ad hæc arcana signifi-
canda Ægyptij arcanam effigiem mon-
strosamq; excogitauerunt. Pierius antea
recitatus, non tam monstrum, quàm si-
miam describit: neq; aliud esse Sphingem,
quàm simiam existimat: cuius sententiæ
etiam est Solinus, qui ita loquitur: *Inter Solini c:
simias habentur & Sphinges, villosa comis, 30.
mammis prominulis, ac profundis, dociles ad
feritatis obliuionem.* Hæc Solinus de Simijs.
Et Pierius, *Harum ego unam, inquit, Ve-
rone cum essem, vidi, mammis illis & glabris,
& candidis à pectore propendentibus, circum-
ducebat eam circulator quidam Gallus, ex
ignotis antea insulis recens aduectam. Toto
erat.*

erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus; dorso hispido supra modum; fusco & oblongo admodum pilo, eoq; densissimo. Rector leuissimum brachium, quo catenam, cui erat alligata regebat, ferrea manica obarmatum habebat; dextera baculum gerebat, quem in faciem animalis identidem pretendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare, interdum & obgannire faciebat; multamq; hinc à spectatoribus stipem aucupabatur. Sunt, qui dicant in Libya, & Africa ob inopiam aquæ, tamquam siticulosis regionibus, è longinquo, bibendi gratia, diuersi generis animalia in vnum congregari, & inibi, è varia feminum mixtura, varias quoque subinde animalium formas generari: quæ tamen formæ, in illis terris, quia incolis propemodum familiares sunt, non adeò prodigiosæ habentur. Si aliud nihil sunt quàm simiæ, monstra non sunt; si formis permiscentur aliarum bestiarum, eximi non debent de numero monstrorum. Hæc de veritate Sphingis; in cuius fabula aiunt, inuolutum esse illud, quod Palæphatus in hac historia exponit. Cadmus, vxorem Sphinga habens Amazonida, Thebas profectus est: vbi interfecto Dracone, regno potitus

Apud Lil.
Girald. in
Ænigm.

potitus est, ducta vxore Harmione, Draconis sorore. Id Sphinx iniquo animo tulit. Quare, seductis nonnullis ciuibus Sphincium occupauit, incursionibusq; ac insidijs, quæ à Thebanis indigeno sermone ænigmata dicuntur, Cadmum ipsum, & qui illum sequebantur, infestauit. Tandem, proposito præmio, ab Oedipo superata fuit. Hic fabulæ nucleus, hæc est origo. Quamquam postea etiam, ob Megarensium mores, homines lasciui & molles, immò & meretrices, populari conuicio, *Megarica Sphinges* dicebantur.

§. XVI.

*An dentur in rerum natura Centauri,
Hippocentauri?*

Pingi, & apparere aliquando Centauros, Hippocentaurus, Onocentaurus, Satyros, similiaq; duplicis nature monstra, notissimum est; esse autem in rerum natura valde apud authores dubiũ est. Vtrumque è D. Hieronymi verbis licet intelligere, qui, in vita Pauli primi eremitæ, Magni Antonij describens iter, hæc habet. *Nec plura his. conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum Hippocentauro vocabulum indidit; quo viso salutaris impressione signi ar-*

S. Hieron.
l. epist. 1.

gni armat frontem, & Heus tu (inquit) quam in parte hîc seruus Dei habitat? at ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora senis blandum quesivit eloquium, & dextera protensione manus cupitum indicatiter, & sic patentes campos volucris transmittens fuga, ex oculis mirantis euannit. Verùm hæc utrùm diabolus ad terrendū eum simulauerit, an (ut solet,) eremus monstrorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus. Dubitat etiam Ælianus, dum in hunc modum describit: Onocentaurum quisquis vidit, non incredibile ducit, quod fama peruagatum est, Centauros fuisse, neq; fictores, atque pictores in eorum descriptione errasse. Verùm siue reuera fuerint, siue omni cera flexibilior, & ad fingendum habilior fama illos finxerit, prætereo. De Onocentauro quidem mihi nunc est animus explicare, quæ auditione & fama accepi. Enim ipsum homini ore, & promissa barba similem esse; & simul collum, & pectus humanam speciem, similitudinemq; gerere: mammas distantes ex pectore pendere: humeros, brachia humanam figuram habere: dorsum, ventrem, posteriores pedes asino persimiles esse: & quemadmodum asinum,

Ælian. l.
17. cap. 9.
de histor.
animal.

num,

num, sic cinericio colore esse: imum ventrem
leniter exalbescere: duplicem usum ei manus
prestare, nam celeritate, ubi sit opus, ea manus
præcurrunt ante posteriores pedes. Ex quo fit,
ut non ceterorum quadrupedum cursu superetur.
Ac ubi rursus habet necesse vel cibum
capere, vel aliud quiddam tollere, qui antea
pedes essent, manus efficiuntur. Tumq̄ non
graditur, sed in sessione quiescit. Animal est
gravi animi acerbitate. Nam si capiatur, non
ferens seruitutem, libertatis desiderio ab omni
cibo abhorret, & fame sibi mortem consciscit.
Hac de Onocentauro Pythagoram narrare te-
statur Crates ex Mysio Pergamo profectus.
Dubitat etiam, apud Xenophontem Chry-
santes. Ita enim legimus: Quo fit ut ma-
ximè ex omnibus animalibus adamem Hippo-
centauros, si fuerunt; qui tum hominis ute-
rentur ante rem consultandi prudentia, & ma-
nuum artificio, tum haberent equi & veloci-
tatem, & vires. Et postea. Itaque hoc sanè
melius est, quàm Hippocentaurum esse natū;
Hippocentauros enim arbitror multis carere
bonis, que ab hominibus sunt inuenta, ut ijs
scilicet est utendum: multis item carere vo-
luptatibus equis innatis, quoniam pacto ijs frui
oportet. At ego si equitare didicero, cum in
equo

Xenoph.
lib. 4. de
Cyri pæ-
dia.

equo fuero, agam scilicet, quæ Hippocentauri sunt: cum ex equo descendero, & cœnabo, & induar, & me quieti dabo, quemadmodum alij homines. Quare quid aliud sim futurus, quàm diuisus Hippocentaurus, ac rursus compositus. Insuper his etiam rebus Hippocentaurum anteibo. Nam ille duobus prospiciebat oculis, duabusq; auribus audiebat: at ego oculis quatuor coniectabo, & quatuor auribus presentiam. Aiunt enim equum manifestare hominibus multa, quæ oculis prospicit; ac multa significare auribus; quæ antè auditu percepit. Quibus verbis alludit ad Poëticæ fabulæ originationem. Dum enim Poëtæ veritates quasdam fictionibus inuoluerunt, quædam in monstris ponentes, historias fabulis reddiderunt suspectas famosasque. Sic, quia frenos & strata equorum Peletroni inuenit; pugnare ex equo Thessali; Centauri appellati sunt habitantes secundum Pelium montem. Neque aliam ob causam Bellerophon Pegaso alato vectus fingitur, quàm quia fræno inuento equum celerrimè in omnem partem inflectens Chimæram interemit, vt tradit Pindari interpretes. Thessalorum ergò, apud Poëtas, cognomen ab effectu ductum erat, vt

Centauri

Plin. l. 7.
hist. c. 56.
Natal.
Com. l. 9.
cap. 4.

rum Peletroni inuenit; pugnare ex equo Thessali; Centauri appellati sunt habitantes secundum Pelium montem. Neque aliam ob causam Bellerophon Pegaso alato vectus fingitur, quàm quia fræno inuento equum celerrimè in omnem partem inflectens Chimæram interemit, vt tradit Pindari interpretes. Thessalorum ergò, apud Poëtas, cognomen ab effectu ductum erat, vt

Centauri nominarentur. Quia enim eques-
tres eorum turmæ procul aspicientibus, &
infra formam equorum, & supra manus
vultusque hominum exhibebant *centauris*
similes, *centauri* vocabantur. Sed vnde eam
similitudinem hauserunt, si nulli vspiciam
fuere centauri?

§. XVII.

Vnde probabile fiat, *Centaurus* esse?

Credibile igitur valde est, dari eiusce-
modi monstra, quæ quia ex parte hominis,
ex parte autem equi, aut asini figura con-
specta sunt, *Centauri*, *Hippocentauri*, aut
etiam *Onocentauri* sunt nuncupata; tam-
etsi enim mihi non persuadeam, vllam esse
Centaurorum verorum gentem, aut po-
pulum, quæ cum *Lapithis* pugnet, esse ta-
men, aut certè esse posse eiuscemodi bi-
formia animalia, siue ratione prædita, siue
rationis expertia, non dubito, ductus au-
thoritate, ratione, exemplis. Neque enim
Madaurensis duntaxat *Philosophus* eiu-
scemodi *semiferos* reperiri in terris affir-
mat; sed grauius quoque *Propheta Isaias*
vastitatem *Ierosolymitanæ* vrbis prædi-
cens ait: *Et orientur in domibus eius spina, &*
ortica, & palurus in munitionibus eius, &

Ouid. lib.

12. Metæ.

Apul. lib.

4. asini.

IIa. 34. 13d

erit cubile draconum, & pascua struthionum.
Et occurrent damonia Onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & inuenit sibi requiem. Quid hinc aliud dicit Propheta, quàm ille Poëta:

Lucan.
l. 3.

Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fæta Peletronijs nubes effudit in an-
tris?

Plin. l. 7.
c. 3. Nat.
hist,

Quod si opus est oculatis testibus, Plinium audi. Claudius, inquit, Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interisse; & nos principatu eius allatum illi ex Ægypto in melle vidimus. Meminit huius rei etiam Phlegon Cæsaribus libertus, meminit & Trallianus in libello de mirabilibus & longanis: meminerunt alij complures grauissimi authores, præter tota agmina Poetarum, Hesiodum, Homerum, Sophoclem, Orpheum, Pindarum, apud Græcos; Virgilium, Horatium, Propertium, Ovidium, Papinium, apud Latinos. Subscribunt * Ælianus & Volaterranus, dum Iani sæculo Italiæ accolam Marem describunt magni quidem nominis, si animum inspicias, virum; sin autem corpus, monstruosissimum, pube tenus scilicet hominē, reliqua

Hesiod. in
Aspide.
Homer.
lib. 21.
Odyss.
Sophocl.
in Trachis
nijs Orph.
in Argo-
naut. Pin-
dar. in
Pythijs.

* Ælian. l. 9. c. 16, Volaterran. l. 17. Anthropologiz.

reliqua verò equum referentem : quales & in Asia Hippopodes esse dicuntur; item & apotami, qui in aquis degunt. Ratio etiã in promptu est, cur enim non posset esse propria species animalium, cui Centauro- rum, aut Satyrorum forma competeret? cur non corrupta pręgnantium imagina- tio, & subiti terrores tantam in partum vim haberent, vt, quod ipsi vidimus, puer, aut puella alicuius bruti membro defor- matus pareretur? In Androgynis Africę populis, mamma virilis est, & altera mulie- bris; immò idem homo vir est & fęmina. In Eripia homines formosi collo & ore, gruino cum rostris animalium reperiun- tur. Cur non posset esse talis seminum mixtura ac diuersitas, vt membrorum effi- ceret disparitatem? Exempla autem non- nę manifestę hoc fateri cogunt? vt enim Sirenes omitam, nonnę ex equo & asina, aut ex asino & equa nascitur mulus, qui neque equus est, neque asinus? Nonnę e cane & vulpe vulpicanes, ex lupo & cane Lycisci oriuntur? Nonnę Cynamolgi in Aethiopia & India canina capita, homi- num cetera habent, teste Solino & Isido- ro? Nonnę Mela refert, Septemtrionalium

Solin. c.
43. Isid.
Origina

G 2

quarun-

l. 11. Me-
la l. 3. c. 6.
Plin. l. 7.
c. 3. Plu-
tarch. in
gryllo.

quarundam insularum accolas esse equinis pedibus Hippopodas dictos? Ad eundem modum historici recensent, apud quosdam Indos nefanda coniugia, mixtosq; & semiferos esse partus? Ex eiusmodi nuptijs Minotauri nobis & Egypanes, etiam meo iudicio Sphinges suppullulant, & Centauri, ait Plutarchus. Nec necesse est, Obsequentem testem citare, qui memorat, Tiberio Graccho, M. Iuuentio Coss. porcum humanis pedibus & manibus natum: nostra hæc sæcula, pro dolor, eiusmodi monstra infamârunt, non à bestijs duntaxat, sed à Stygijs etiam larvis generata, & dæmonum subinde toruissimo vultu defœdata: ut planè proternum esse necesse sit, qui post tam multas clarasque experientias, rem hanc velit inficiari. Necesse est enim eum etiam multas hominibus à Deo miraculose inflictas pœnas, de quibus infra; & monstra tot oculis testibus affirmata inficiari.

§. XVIII.

Qui negent Centauros esse?

Oppugnant hanc sententiam primùm ipsi Poetæ, tum oratores; quin & historici, & Philosophi, & Medici, & Iurisperiti: quin & SS. Patres. Addunt rationem

nent

qua in dubium vocantur.

25

nem Philosophi. Lucretij enim hæc sunt:

*Nam certè ex viuo Centauri non fit
imago.*

Lucreti
lib. 4.

*Nulla fuit quoniam talis natura ani-
mai.*

Et alibi. *Sed neq₃ Centauri fuerunt, nec tem-
pore in vlllo*

Idem l. 5.

*Esse queat duplici natura, & corpore
bino*

*Ex alienigenis membris compacta po-
testas,*

Argumentis deinde mox afferendis sen-
tentia sua munita, ita colligit.

*Ne fortè ex homine, & veterino se-
mine equorum*

*Confieri credas Centauros posse, nec
esse.*

Subscribit Tullius his verbis: *Is planè per-
spiciet, inter Hippocentaurum, qui numquã*

Cic. lib. 1.
Tulc.

*fuerit, & regem Agamemnonem nihil inter-
esse. Et alio loco: Etenim videmus ceteras opi-*

Idem l. 2.
de nat.
Deor.

*niones fictas atque vanas diuturnitate exole-
uisse; quis enim Hippocentaurum fuisse, aut*

*Chimeram putat? Sic orator de his mon-
stris loquitur. Polyhistor autem in hunc*

*modum: Ac ne in montes notos eamus, Pin-
dum, & Othryn agitent, qui Lapitharũ origi-*

Solin. c. 13

G 3

nem

nem prosequuntur, Ossam, quos Centaurorum fabulis immorari iuvat. Sed Philosophi præcipuè hîc se opponunt. Nam præter Lucretium, qui Philosophis meritò debet

Senec. l. 8. alcribi, Seneca sic pronunciat: *Et hæc quæ sunt, rerum natura complectitur, quæ animo succurrunt, tanquam centauri, gigantes, & quidquid falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamuis non habeat substantiam.*

Maxim. Tyr. ser. 34 Galen. l. 3 de usu part. *Hæc sunt Centaurorum fîctiones. Hoc Gorgones, Geriones, Cecropes sibi volunt. Ad Philosophos accedunt medici, Claudius Galenus inter adûvata, seu illa, quæ esse non possunt, ponit, ex hominibus & equis Magnesijs Hippocentauros nasci.*

Institut. de inutilib. stipulationib. §. 1. *Quòd si quis etiam vult testimonium habere Iurisconsultorum, Iustinianum Imperatorem audiat: cuius hæc sunt: At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem vivere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.*

I. Si ita stipulatus 97. in pr. D. de verbor. oblig. *Idem I. C. Celsus, Accursius & alij docuerunt. Ne Theologi desint, & SS. PP. His temporibus, inquit S. Augustinus, fabula fîcta sunt de Triptolemo, &c.*

de

de Minotauro &c. de Centauris, quod equorum hominumq; fuerit natura coniuncta.

§. XIX.

Respondetur Centaurorum oppugnatoribus.

His authoribus authores à nobis supra citatos; & oculatos testes oppono. Vnicus è Poetis (qui tamen potius Philosophus est) Lucretius negat, alij omnes unanimi voce aiunt. Quod si in similibus exigua est fides Poëtarum; historicos habemus. Habemus & Medicos, & Iurifconsultos, qui eiusmodi biformes foetus in nefandæ libidinis puniendæ argumentum traxerunt. Habemus & Theologos, qui disputant, an, & quando talis partus pro gemino animali, aut homine solo, vel bestia sola, habendus, alendus, vel baptizandus sit? Senecam non moramur, qui eodem loco cum ponat *Centaurus, Gigantes, & quidquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit*, ansam nobis præbet, qua contra illummet utamur. Si enim eadem est ratio Centaurorum, quæ Gigantum, ita nobis licet ratiocinari: Sed Gigantes reperiuntur, ergo & Centauri. De gigantibus diuinæ litteræ affirmant.

Henricus
Gandavi
quod l. 6.
q. 14. C.
ouarru.
l. 4. c. 2.

Gen. 6. 4.

Diluuij enim tempore gigantes erant super
 Deuter. 3. 11. terram. Et post diluuium fuerunt. Emim,
 populus magnus & validus, & tam excelsus, ut
 de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur.
 Et paulò infrà de terra, quæ à Deo filijs
 Ib, v. 20. Lot assignata est: Terra gigantum reputa-
 ta est: & in ipsa olim habitauerunt gigantes,
 quos Ammonitæ vocant Zomzommim, popu-
 lus magnus, & multus, & procera longitudinis.
 2. Reg. 21. Saph quoque fuit de genere gigantum. Neq;
 18. Goliath Philisthæorum Polyphemus par-
 1. Reg. 17. uus fuit. Vidimus denique & ipsi Gigan-
 4. tes, quos qui cum Seneca nullos vsquam
 esse putat, est in credendo nanus. Sed su-
 Artemid. perest præcipua ratio, ob quam Artemi-
 Dald. l. 2. dorus Daldianus, alijque Philosophi exi-
 de som- stiment Centauros, & Hippocentauros, &
 nior. in- quæcunque monstra plurium specierum,
 terpret. formas præ se ferentia, esse mera somnia &
 cap. 49. Chimæras. Fieri enim non potest, duas na-
 turas completas in vnam speciem coalesce-
 re, aut vnum animal partim bestiam, par-
 tim hominem, hoc est, rationis particeps
 & expers esse. Atqui hoc non dicimus. Ne-
 que enim in Satyro, vel Centauro admit-
 timus naturæ, sed figuræ duntaxat duplici-
 tatem. Quid referat, membra aliqua in-
 formis

formis partialibus errare, si reliqua & præcipua sint humana? Cur anima humana, quæ potest corpus hominis regere sine omni pede, aut etiam ligneo pede, non possit etiam vti pede pedem caprinum imitante, aut equinum? Vel ergo solùm erit homo eiusmodi monstrum, sed ob alienos pedes, monstrosus; vel solùm bestia erit, sed ob humana quædam membra, itidem monstrosa; ex ijs quæ agit dignoscenda. Quamquam igitur non nego, sæpe, qui Centauri, Satyri, Fauni putabantur, malos dæmones fuisse, qui talium monstrorum corpora induerunt, vt homines terrerent; vera tamen eiusmodi animalia existere posse, semper profitebor. Illud certè monstrum, quod D. Hieronymus scribit S. Antonio in eremo apparuisse, cum dicatur locutum fuisse, bellua esse non potuit; debuit ergo vel dæmon, vel homo fuisse. Quod esse posse neq; S. Hieronymus negavit, neque D. Augustinus refutavit; qui cum alijs SS. Patribus & Iurisconsultis, ac Philosophis aliud nihil voluit reijcere, quàm hæc monstra prout à Poëtis describuntur, duas naturas, videlicet humanam & equinam, simul comple-

Francisc.
Ferd. de
Cord. in
Didascal.
Multipli.
ci. cap. 8.
Delrius
Coment.
in Hercu-
lem Oe-
teum Se-
nece.

ctentia, quarum vna fœno, altera vino gauderet: neque opus duplici ventre, & stomacho, aut quadruplici pede, cùm, vt suprâ ex Æliano docuimus, Onocentauri manibus loco pedum nitantur, quando celerandum est. In hanc sententiam etiam scribit Franciscus Ferdinandus de Cordoua. Qui post Delrium, hæc pleraque copiosius disputauit. Verùm his affatim probatum est, gigni monstra; nunc cur ea vel à natura gignantur, vel ab authore naturæ gigni sinantur inquiremus.

CAPVT III.

Iniquas hominum de Monstris & monstrosis querelas compesci ex eo, quòd monstra & monstrosi sint Dei opus, & eorum irrisores diuinitus puniantur.

§. I.

Murmurationes, & querela contra monstra.

DVplex iniuria est, si quis inde contumeliam patitur, vnde laudari merebatur. Quare & illi gemina pœna digni sunt, qui Deum in operibus suis non solum laude